Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 307
Quelle:
Copyright:



*aquas plurimas redundauit. Heſter* X°. Atque ex hoc principio, licet nomen Autoris in *Codice* non adpareat, liquet, illum *Petri de Pulka* opus eſſe; ab eodem enim Textu orditur is ſua *in I. ad Corinthios Commentaria*, ut infra videbimus. Tempus ſcriptionis e calce manifeſtum fit: *Anno 1412. 9. die Nouembris. lecta 15. die decembris.* Codicem antice veſtit Membrana mutila hebraica priore columna exhibens Textum *Job* c. 42. v. 9 — 16. altera *Proverb.* c. 1. v. 4 — 18. bene exaratum, atque punctatum. Juvat cum *Foppenio* in *Dedicat. Opp. Diplom. Aub. Miraei* non ſemel ingemiſcere fato ejusmodi Monumentorum,

*Quae pietas antiqua dedit, rudibusque figuris*
*In levi pinxit corio manſura per aevum*
*(Sic certe voluere) et erant manſura per aevum*
*Omnia, Cuſtodum ni turpis inertia tradat*
*Muribus aut blattis, aut Ignorantia ſcindat*
*Forfice luxurians.*

## CCVIII.

U. 187 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 343. ejusdem cum praecedente conditionis, et ab eodem *M. Petro de Pulka* eidem *Librariae* legatus complectitur Ejus *Dubia ſuper Epiſtolam ad Romanos*, ut praefert Titulus a manu coaeva adfixus. Ineunt: *Hic dubitatur primo an beata virgo Maria mater Chriſti et conſequenter Chriſtus deſcenderint de ſtirpe dauidica* &c. Vide et Codices ſequentes.

## CCIX.

U. 186 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 311. 4. currente calamo perſcriptus et olim legatus *pro libraria Collegij Ducalis in Wienna* a *M. Petro de Pulka* T. D. de quo Viro celebri et *Conſpectus Hiſt. Univ. Vien.* et *Pars I. Scriptorum* ejus p. 95. agit, et nos frequenter meminimus, complectitur ejus *Commentaria ſcholaſtica in I. Pauli ad Corinthios Epiſtolam* hoc ingreſſu: *Transmeato iam duce domino primo fluuio maximo et altiſſima diuine ſapientie abyſſo Epiſtola videlicet beatiſſimi Pauli ad Romanos, nunc ejusdem me confortante gratia ſecundum aggrediens fluuium tranſuadandum Epiſtolam videlicet ad Corinthios* &c. Finito Prooemio exponitur etiam Argumentum illud: *Corinthij ſunt achaici* &c. Commentaria autem ſiſtunt ad Epiſtolae ipſius Caput *ult.* ſeu XVI. cujus non niſi V. 1. adſcriptus eſt.

## CCX.

Codex praecedenti per omnia U. geminus, Folior. 416. complectitur *Dubia per Venerabilem et Eximium Artium et ſacre pagine profeſſorem Magiſtrum Petrum de*